

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Christoph. Franckii S. Theol. D. & Prof. Qvondam Primar.  
... in Academia Kiloniensi Pro-Cancellarii, & in Supremo  
Senatu EcclesiasticoConsiliarii. Brevis Et Liqvida  
Demonstratio Deitatis Christi, Ex ...**

**Franck, Christoph**

**Kiloni[i], MDCCV**

**VD18 10454578**

Caput V. Primum Socini contra nostram sententiam argumentum, à  
Schlichtingio defensum, refellitur.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-11595**

CAPUT V.

Primum Socini contra nostram sententiam argumentum, à Schlichtingio defensum, refellitur.

I.

EGimus hucusque causam nostram tribus argumentis: in quibus cum nihil vel ad firmitudinem, vel ad claritatem probationis desiderari queat, plura cumulare nihil attinet. Nunc quinque illis argumentis, à Socino, Lib. Quod Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithuaniae homines, &c. Cap. IV. Oper. Tom. I. p. 698. propositis, & à Schlichtingio, Disp. de SS. Trinitate, &c. adversus Meisner. art. I. p. 205. & multis seqq. defensis, occurrere consilium est, quibus, Trinitatis dogma in S. literis aperte damnari, probatur: quandoquidem his argumentis proxime & directe concluditur, partim, nullum alium præter Patrem Christi esse summum Deum; partim vero, Christum non esse summum Deum, quod posterius etiam consequens est priori.

*Excipiuntur quinque Socini argumenta, quibus Trinitatis dogma in S. Literis aperte damnari probatur.*

II. Primum argumentum à Schlichtingio loc. cit. p. 204. 205. refertur his verbis: *Primum*  
te-



testimonium sumtum est ex verbis ipsius Christi ad Patrem, Joh. 17. 3. *Ὁς μόνον ἀληθινὸν Θεὸν.* Hæc enim verba accipienda esse, ac si dictum foret, ut cognoscant te, qui solus es verus Deus, docet locus 1. Tim. 6. 16. ubi cum similiter in Græco sit, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασία; fere omnes tamen Interpretes vertunt, qui solus habet immortalitatem, quippe cum hæc sit vis Græcæ loquutionis. Quod si ergo solus Pater est verus Deus, (veri namque Dei nomen hîc κατ' ἐξοχήν sumitur, pro eo qui summus est) relinquitur, nec Filium, nec Spiritum Sanctum, nec quenquam alium, præter Patrem, esse verum Deum κατ' ἐξοχήν, id est, summum. Resp. Verba Christi Joh. XVII. 3.

Resp. Verba Christi Joh. XVII. 3. *ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν,* non ita accipienda sunt, ut cognoscant te, qui solus es verus Deus. Nam exclusivam μόνον non construendam esse cum pronomine σε, Patrem designante, sed cum verbis sequentibus, ἀληθινὸν Θεὸν, evidens inde est, quod articulus τὸν, inter pronomen σε, & exclusivam μόνον positus sit, & hæc cum sequentibus vocibus, ἀληθινὸν Θεὸν, immediate, nullo interjecto verbo vel participio, cohæreat. Itaque Servatoris verba necessario ita debent verti: *ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, ut cognoscant te, illum solum verum Deum, sive qui es ille solus verus Deus,* ut voces μόνον, & ἀληθινὸν Θεὸν, conjunctæ per articulum τὸν, voci μόνον præfixum, & nullo interposito verbo vel participio direm-

Locus Joh. XVII. 3. fuse declaratur.



diremtæ , τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν ita conjunctæ maneant. Ut autem hoc modo vertantur , ut cognoscant te , qui solus es verus Deus , non patitur constructio Grammatica : quia sic voces , μόνον ἀληθινὸν θεὸν , distrahuntur ac separantur , quas præfixus illis articulus τὸν conjungit , & nullum interpositum verbum vel participium divellit. Non enim scriptum est , σε μόνον τὸν ἀληθινὸν θεὸν , te solum illum verum Deum ; vel , quod idem est , cum præcedente , σε τὸν μόνον ὄντα ἀληθινὸν θεὸν , te qui solus es verus Deus , sed ita legimus , σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν , te , illum solum verum Deum sive te qui es ille solus verus Deus. Quod si veritas , te qui solus es verus Deus , verborum ordinem turbas , ita ut ipsum locutionis sensum commutes. Loci

*Illustratur  
locus 1. Tim.  
VI. 16.*

1. Tim. VI. 16. prorsus alia & dissimilis est ratio. Ibi quidem , quod in Græco est , ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν , concedimus posse ita verti , qui solus habet immortalitatem : sed quis non videt , alium verborum positum ac constructionem hîc esse , quam in verbis Christi ? Hîc enim post exclusivam cum articulo , ὁ μόνος , non sequuntur alia nomina , cum quibus illa jungatur , uti in verbis Christi sequuntur nomina ἀληθινὸν θεὸν : sed immediate sequitur participium ἔχων , cum nomine substantivo , ἀθανασίαν , cum quo nomine exclusiva , ὁ μόνος , non construitur. Participium ἔχων habens , vim verbi obtinet , valetque idem ac ὁ ἔχει , qui habet. Quare verba græca hoc sonant,

O

ille



ille solus habens immortalitatem, & si participium resolvas in pronomen & verbum, *ille, solus qui habet immortalitatem*; cum quo sensu idem est, si dicas, *ille qui solus habet immortalitatem*, vel brevius, omiffa voce *ille*, ab initio imposita, *qui solus habet immortalitatem*.

III. Idem responsi ad Socini argumentum dederat jam quoque Meifnerus, Brevi Considerat. Theol. Photin. Cap. IV. p. 377. 378. ubi docuit, ex verbis Christi fluere hanc propositionem, *Pater est ille solus verus Deus*; ipsumque ordinem & articulum præpositivum τὸν ostendere particulam μόνον haud pertinere ad subjectum σε, sed ad prædicatum. Ad quæ Schlichtingius, Disp. de SS. Trinitate, &c. hæc reponit: *Imo vero & articulus appositionem esse indicat, seu novam subjecti descriptionem; recteque hic vertitur per pronomen qui, & nomen solus non alio quam ad subjectum referri potest: nec ordo verborum, si verbis Christi formatur aliqua propositio, in ἀληθινὸν θεὸν ad Subjectū, quod Pater est, refertur; illum qua de Patre enim significat: sed cum hinc integra sententia forte hac ejus describitur, & illud de Patre enunciatur, quod in appositione pro illo ponitur, nomen solus non alio quam ad Patrem referri potest, hoc pacto, solus Pater est ille verus Deus, vel eodem manente sensu, ut mox patebit, Pater est is, qui solus est verus Deus; quorum omnium exemplum habemus loca ad Patrem,*



co à Socino notato, 1. Tim. 6. 16. de quo supra jam <sup>loco-subjecti</sup> <sup>positum non</sup> <sup>est ullo mo-</sup> <sup>do referen-</sup> <sup>da in con-</sup> <sup>structione :</sup> <sup>sed ita col-</sup> <sup>locari debet</sup> <sup>in prædica-</sup> <sup>to, quod cõ-</sup> <sup>stituit inte-</sup> <sup>gra Patris</sup> <sup>descriptio,</sup> <sup>in appositio-</sup> <sup>ne pro illo</sup> <sup>in Christi</sup> <sup>verbis</sup> <sup>posita, ut cõ</sup> <sup>vocibus, ve-</sup> <sup>rus Deus</sup> <sup>immediate</sup> <sup>maneat cõ-</sup> <sup>juncta.</sup>   
 egimus. Resp. Si hæc Christi verba tota confi-   
 derentur, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te*   
 (nempe Patrem) τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν; accurate   
 loquendo Pater nequit appellari subjectum: in-   
 terim concedo, totum hoc, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν,   
 tanquam descriptionem Patris, & consequenter   
 etiam nomen *solus*, quatenus hujus descriptionis   
 pars est, ad Patrem referri. Sed cum ex istis Chri-   
 sti verbis formatur aliqua propositio, in qua de   
 Patre dicta ejus descriptio prædicatur, exclusiva   
*solus* ad Patrem, loco subjecti positum, non est   
 ullo modo referenda in constructione, ut dicatur,   
*Solus Pater est ille verus Deus; vel Pater est is, qui so-*   
*lus est verus Deus:* Sed ita collocari debet in prædica-   
 to quod constituit integra Patris descriptio, in appo-   
 sitione pro illo in Christi verbis posita, ut imme-   
 diate conjuncta maneat cum vocibus *verus Deus,*   
 hoc modo: *Pater est ille solus verus Deus, vel*   
*Pater est is, qui est solus verus Deus.* Nam ad   
 descriptionem Patris in sermone Christi pertinet   
 hoc totum, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν: quamobrem e-   
 tiam, ubi de Patre prædicanda ejus descriptio,   
 hoc integrum & immutatum relinquendum est,   
 nec committendum, ut exclusiva μόνος à vocibus   
 immediate sequentibus, ἀληθινὸς Θεὸς, ullo modo   
 divellatur.

IV. Ad locum 1. Tim. VI. 16. quem Socinus <sup>ejusdem in</sup> <sup>stantia cir-</sup>   
 attulerat, ut ostenderet, vocem *solus* ad subje-   
 ctum



ea locum  
1. Tim. VI.  
16.

etum esse referendam, responderat Meisnerus loc. cit. p. 381, eum plane dissimilem esse, habentem exclusivam expresse subiecto additam. Ad quæ Schlichtingius regerit, Disp. de SS. Trinitate, &c. p. 141. *Ovum ovo similis non est, quam loci isti sunt inter se similes. Adscribamus locum: quem (id est, Christum) temporibus propriis ostendet, ille beatus, & solus potens, Rex regnantium, & Dominus dominantium, ille solus habens immortalitatem.* In Græco est, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασία. Quod posterius membrum ita omnes fere interpretes reddunt: qui solus habet immortalitatem. Jam vero si Græca verba spectemus, exclusiva solus non minus cum prædicato, habens immortalitatem, situ conjuncta est, quam in Joannis loco cum prædicato, verus Deus: nec expressius in uno exclusiva ad subiectum respicit quam in altero. Quod si ergo omnes interpretes, & Meisnerus ipse, particulam, solus hîc ad subiectum referri vident, cur non etiam idem illic fieri censeant? Resp. Utriusque loci dissimilitudinem diligenter expositam dedimus supra, §. II. Integer sermonis Paulini contextus inspectus docet nos, hæc verba, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασία, continere novam descriptionem Dei. Quæ si, formata peculiari propositione, de Deo prædicetur, talis inde emerget propositio: *Deus est ille solus habens immortalitatem, vel Deus est ille, solus qui habet, sive ille qui solus habet immortalitatem, unde sequitur hæc propositio; Deus solus seu solus Deus habet immortalitatem.* Sane in

Resp.



in citatis Pauli verbis, exclusiva *μόνος* stat immediate ante verbum *ἔχειν*, nec habet post se aliquod nomen, quocum genere, numero & casu conveniat, ut cum eo construi possit. At in verbis Christi, *τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν*, exclusiva *μόνος* stat immediate ante nomina, *ἀληθινὸν Θεὸν*, nullo interjecto verbo, & cum illis construitur. Igitur si hæc verba, continentia descriptionem Patris, de Patre prædicanda sunt, talis formari debet propositio, *Pater est ille solus verus Deus*; vel, *Pater est is, qui est solus ille verus Deus*: nec idem est, si cum Schlichtingio dicas, *Pater est is, qui solus est verus Deus*, vel, *Solus Pater est verus Deus*: nam in his duabus propositionibus exclusiva *solus* construitur cum voce *Pater*; cum in prioribus duabus construatur cum vocibus, *verus Deus*. Unde etiam plane diversus istarum propositionum sensus oritur. Nam nostræ illæ hoc sensu debent accipi: *Pater est ille solus verus Deus, extra quem non est alius verus, & Pater est Deus is, qui est solus verus ille Deus, extra quem non est alius verus Deus*. Socinianarum vero propositionum hic est sensus: *Pater est is, qui solus est verus Deus, nec extra Patrem est alius, qui sit verus Deus, & Solus Pater est verus Deus, nec extra Patrem est alius, qui sit verus Deus.*

V. Nondum quiescit Schlichtingius, sed ita porro instat, Disp. de SS. Trinitate, &c. p. 238. *Demus, particulam solus ad prædicatum referri eo pacto quo Meisnerus vult, ut nimirum talem Deum*

Ulterior  
Schlichtin-  
gii dissu-  
ratio de lo-  
co Job.  
XVII. 3.  
enervatur.



verum determinet, extra quem nullus alius sit verus Deus; nihilominus tamen omnes, præter Patrem, excludendi vim habebit, & sic ad primum subjectum re ipsa spectabit. Quoties enim hoc pacto per vocem solus prædicatum determinatur, proinde est, ac si ipsi statim subjecto vox hæc fuisset addita. Exemplis res fiet manifesta. Cum dico, Cicero est ille solus Orator, Virgilius est ille solus Poëta, perinde est; ac si dicerem, solus Cicero est Orator, solus Virgilius est Poëta. Sed ut sacra potius afferamus exempla, nonne cum dico, Deus est ille solus Dominator, ille solus sapiens, ille solus potens, ille solus immortalitatem habens, ille solus Dominus per quem omnia, perinde est ac si dicerem; Solus Deus est Dominator, sapiens, &c. Solus Christus est Dei Filius Dominus per quem omnia. Similiter ergo cum dico; Pater est ille solus Deus, idem est ac si dicerem; Solus Pater est ille verus Deus. Resp. Si hoc obtinemus, particulam solus ad prædicatum referri eo pacto, ut talem Deum verum determinet, extra quem nullus alius sit verus Deus; salva res est, vicimus. Nam ex omnium Logicorum doctrina absurdum est, particulam solus, cum tali modo ad prædicatum pertinet, ejusque pars est, nihilominus subjectum respicere & omnia præter illud excludere. Nec contrarium probant exempla à Schlichtingio adducta. Cum dico, ait, Cicero est ille solus Orator, perinde est ac si dicerem, Solus Cicero est Orator; cum dico, Deus est ille solus Dominator, ille

Quando  
particula  
solus per-  
tinet ad  
prædicatū  
ibique ali-  
quid deter-  
minat, neu-  
tiquam dici  
potest eam  
respicere

*ille solus sapiens, &c. aut Christus est ille solus Dei* <sup>subjectum,</sup>  
*Filius; perinde est ac si dicerem, Solus Deus est* <sup>& omnia</sup>  
*Dominator, sapiens, &c. Solus Christus est Dei* <sup>præter il-</sup>  
*Filius. Enim vero binas istas propositiones,* <sup>lud exclu-</sup>  
 quas ut æquivalentes in dictis exemplis affert <sup>dere.</sup>  
 Schlichtingius, easdem esse formaliter, nullus <sup>Ex propo-</sup>  
 Logicorum dixerit. Concedo alteram ex altera <sup>sitione, que</sup>  
 recte inferri, hoc pacto *Cicero est ille solus Ora-* <sup>continet</sup>  
*tor, nempe excellentissimus; Ergo Solus Cicero* <sup>exclusivam</sup>  
*est ille Orator: Deus est ille solus Dominator, ille* <sup>Solus, per-</sup>  
*solus sapiens, &c. puta qui à se est Dominator, à* <sup>tinentē ad</sup>  
*se sapiens, &c. Ego Solus Deus est ille Domina-* <sup>prædicatū,</sup>  
*tor, ille sapiens, &c. Christus est ille solus Dei* <sup>ibique ali-</sup>  
*Filius, nempe proprius; Ergo Solus Christus est* <sup>quid deter-</sup>  
*Dei Filius: verum id fit ratione materiæ, & per* <sup>minantem;</sup>  
 consequentiam non formalem, sed materialem; <sup>interdum</sup>  
 quia nimirum id, quod in prædicato cum <sup>recte infer-</sup>  
 voce *solus* conjungitur, non latius patet subjecto. <sup>tur propo-</sup>  
 Non latius patet Orator excellentissimus, quam <sup>sitione Exclufi-</sup>  
 Cicero; Dominator, sapiens à se, quam Deus; <sup>va exclusi-</sup>  
 Dei Filius proprius, quam Christus. At cum <sup>subjecti, per</sup>  
 dico, *Pater est ille solus verus Deus*, nostra <sup>consequen-</sup>  
 quam in hac contraversia defendimus, Thesis <sup>tiam mate-</sup>  
 est, *Verum Deum latius patere Patre, & Filium* <sup>riatē, nem-</sup>  
 quoque ac Spiritum Sanctum esse verum Deum. <sup>pe cum id,</sup>  
 Quod antequam infringat Schlichtingius, & pro- <sup>quod in</sup>  
 bet, verum Deum non latius patere Patre, nihil <sup>prædicato</sup>  
 egerit istis exemplis, nec iisdem effecerit unquam, <sup>cum voce</sup>  
 cum dico, *Pater est ille solus verus Deus*, idem <sup>Solus im-</sup>  
 idem <sup>mediate</sup>  
 idem <sup>conjungi-</sup>  
 idem <sup>tur; non</sup>  
 idem <sup>latius patet</sup>  
 idem <sup>subjecto.</sup>

id esse ac si dicerem, *Solus Pater est verus Deus*, vel hoc ex illo cogi posse.

VI. Sed pergit Schlichtingius, *Disp. de SS. Trinitate, &c. p. 238. Nec ullum unquam istius locutionis, quod ineptum non sit, afferri poterit exemplum, quin prædicatum per vocem solus circumscriptum nihilo latius pateat, quam subjectum, seu cum subjecto reciprocetur. Ratio hujus rei est in promptu, quod vox solus alia omnia excludendi vim habeat, præter id cui apponitur. At quid excluderet, nisi ad subjectum respiceret? Num ea excludet, quæ sunt extra prædicatum? At quis nescit, nullam rem se ipsa patere latius? Neque queritur, an prædicatum se ipso non pateat latius, sed an latius non pateat subjecto? Num ad alia prædicata excludenda eam additam esse dicemus? At neque hoc quidquam ad rem faceret, aut etiam verum esset. Adde quod in excludendis aliis prædicatis nullus sit usus nominis solus, sed adverbii solum, vel tantum. Præterea nisi alia subjecta, quæcunque sunt extra Patrem excludendi vim haberet hæc particula, quo pacto Idola, aut Dii Gentium censebuntur exclusi, quorum tamen excludendorum causa omnes eam ad ditam esse fatentur? Num enim, si verum Deum esse pluribus competit, quam Patri, consequetur Idola verum Deum non esse, quia non sint Pater? Resp. Exempla hujusmodi locutionis, qualia afferri posse Schlichtingius negat, mox afferemus, si prius rationes, ad stabiliendam suam assertionem ab ipso allatas, profligaverimus. Quærit I.*

*Quid*

Quid excluderet vox solus, nisi ad subjectum perti-  
neret? Resp. in hac propositione, *Pater est ille* Vox solus  
in hac pro-  
positione,  
*solus verus Deus*, vox *solus* excludit à prædica-  
to, *verus Deus*, omnes præter unum, atque ita Pater est  
ille solus  
verus Deus,  
quid exclu-  
dat à prædi-  
cato?  
*verus Deus* naturam explicat, dum signi-  
ficat, verum Deum tantum unum esse, non plures.  
Quærit (2) *Nisi alia subjecta, quæcunque sunt extra*  
*Patrem, excludendi vim haberet hæc particula, quo*  
*pactò Idola aut Dii Gentium censebuntur exclusi,*  
*quorum tamen excludendorum causa omnes eam ad-*  
*ditam esse fatentur?* Resp. Hæc particula *solus*,  
hic formaliter non excludit Idola aut Deos Gen-  
tium, neque hoc dicunt omnes, qui nostram in-  
terpretationem verborum Christi amplectuntur:  
sed excludit à prædicato, *verus Deus*, omnes  
præter unum, & significat, verum Deum non  
esse nisi unum. Quandoquidem vero Christus  
nos docet, Patrem esse illum unum verum Deum;  
& alioqui constat, Idola aut Deos Gentium essen-  
tia maxime diversos esse à Patre: facile hinc col-  
ligi potest, Idola aut Deos Gentium illum so-  
lum & unum verum Deum non esse. At Filium  
Dei non esse illum solum verum Deum, exinde  
non sequitur, nisi supponas, Filium Dei essen-  
tia diversum esse à suo Patre, quod Thesis no-  
stra negat.

VII. Jam age, accipe quoque exempla pro-  
positionum, in quibus id, quod in prædicato cum Exempla  
propositio-  
nũ, in qui-  
bus id quod  
voce *solus* immediate conjungitur, latius patet  
P



*in predica-  
to cum voce  
solus imme-  
diate consi-  
gitur, latig  
patet subje-  
cto.*

subjecto. B. Meisnerus, Brevi Considerat. Theol. Photin. Cap. IV. p. 379. 380. hoc dedit exemplum: *Ecclesia Wittebergensis est illa sola vera Ecclesia*: qua propositione significari docet, Ecclesiam Wittebergensem esse veram Ecclesiam, cujus natura atque indoles sit esse unam, extra quam nulla sit alia vera Ecclesia; ut interim a communione hujus unius veræ Ecclesiæ non excludantur aliæ Ecclesiæ Lutheranae, quæ sunt ejusdem rationis ac fidei cum Ecclesia Wittebergensi. Juvat Meisnerum ipsum audire. *Illustrare*, ait l. c. *hæc placet exemplo quodam simili, quod diversitatem inter exclusivam subjecti & exclusivam prædicati clarissime monstrabit. Falsa est propositio, si dicas, solus cætus Wittebergensis est Ecclesia vera; quia hinc colligeretur, alios cætus non esse veram Ecclesiam. Interim recte dico: Cætus Wittebergensis est Ecclesia sola vel solum vera, quia sic non excludo alios cætus ab hoc prædicato, sed naturam exprimo istius Ecclesiæ, quæ de cætu Wittebergensi prædicatur, nimirum quod sit talis Ecclesia, quæ vera, & quidem solum vera; ad cujus communionem cætus heretici non pertinent. Vides igitur exclusivam subjecti remove omne id, quod subjectum non est: sed exclusivam prædicati tantum ejus (Ecclesiæ) exprimere indolem veram ac nativam, quæ per exclusivam opponitur omnibus aliis, de illa natura & indole non participantibus. Proinde sicuti, cum dico, Cætus Wittebergensis est Ecclesia, & quidem illa Ecclesia quæ solum vera, nimirum Christi-*

*stia.*



stiana, Apostolica; his verbis non excludo à communionem Ecclesie solius vere alios cætus Lutheranos, sed tantum cætus hereticos extra Ecclesiam solum-veram constitutos : Ita quum dicitur , Pater est Deus, & quidem ille Deus , qui solum verus, non excludo personas Divinitatis à communionem divine nature solum-veræ, sed tantum excludo res alias, extra illam naturam divinam, solum-veram constitutas. Hactenus Meisnerus. En adhuc aliud exemplum. Cum causam exponere volo, quare S. Jacobus II. 20. demonstraturus, fidem quæ est absque operibus, non esse veram salvificam fidem, sed fidem mortuam, vers. 21. probationem ducat ab exemplo fidei Abrahami; recte & accurate d'co, paucis multa complexus, Jacobum ideo id fecisse, quia omnium confessione *Abrahami fides est illa sola vera & salvifica fides*: qua locutione significo, Abrahami fidem esse veram & salvificam fidem, atque ita quidem, ut nulla alia detur fides vera & salvifica, quæ sit natura atque essentia diversa à fide Abrahami. Si dicerem, Jacobum sumsisse argumentum a fide Abrahami, quia omnium confessione *Abrahami fides est vera & salvifica fides*, quæri posset, an ergo nulla alia detur fides, quæ natura atque essentia diversa sit a fide Abrahami, & tamen sit vera & salvifica fides? at hæc quæstio cessat, si dicam, Jacobum argumentum petiisse a fide Abrahami, quia *fides Abrahami est illa sola vera & salvifica fides*, extra quam videlicet nulla datur alia vera & sal-



vificæ fides, natura & essentia à fide Abrahami diversa. Ubi tamen ab appellatione veræ fidei non excludo fidem v. g. Isaaci & Jacobi, quippe quæ utraque erat ejusdem rationis atque essentiæ cum fide Abrahami. Et hujusmodi quidem propositiones, qualis est ista, *Fides Abrahami est illa sola vera & salvifica fides*, secundum principia Logica potius appellandæ sunt propositiones habentes particulam exclusivam, pertinentem ad declarationem naturæ ejus, cum, quo in prædicato conjungitur, quam exclusivæ exclusi prædicati.

*Instantia 1.*

*Schlichtingii adver-*

*sus proposi-*

*tionem, ex-*

*empli loco à*

*Meisnero*

*allatam,*

*Cœtus*

*Witteber-*

*gensis est*

*illa sola*

*vera Ec-*

*clesia.*

*Resp.*

*Resp.*

VIII. Vellicat Meisneri exemplum Schlichtingius, Disp. de SS. Trinitate, &c. p. 240. atque instat (1): *Non sic elaberis, Meisnere: Nam primum, nonne ipsa insolens loquendi ratio, cum dico, Ecclesia Wittebergensis est sola vera, vel solum vera Ecclesia, prodit inter hoc dictum & Christi verba dissimilitudinem? in quibus ille procul dubio communi aliqua & usitata, non vero insueta loquendi ratione usus est.* Resp. Non est, cur alicui insolens videri debeat loquendi ratio, cum dicitur; *Ecclesia Wittebergensis est illa sola vera Ecclesia.* Certe non inusitatae sunt propositiones, quibus id, quod in prædicato cum voce *solus* immediate conjungitur, de subjecto affirmative enuncietur: quales sunt illæ ab ipso Schlichtingio supra allatæ, *Deus est ille solus Dominator, ille solus sapiens, ille solus potens, &c. Christus est ille solus Dei Filius.* Et quamvis in his propositionibus id, quod in voce *solus* cum prædicato immediate con-

jun-



jungitur, non latius pateat subiecto, nihil tamen vetat, quin ad hanc formam etiam aliquid, quod in prædicato cum voce *solus* immediate conjungitur, latius patens subiecto, de illo affirmetur. Nec video aliquid abhorrens a loquendi consuetudine in propositione, quam supra ad locum Jac. II. 20, 21. formavi: *Abrahami fides est illa sola vera & salvifica fides*, nempe extra quam nulla datur alia vera & salvifica fides, natura atque essentia diversa à fide Abrahami Cui propositioni similis est illa Meisneri: *Ecclesia Wittebergensis est illa sola vera Ecclesia*, puta, extra quam nulla datur alia vera Ecclesia, natura atque essentia ab illa diversa.

IX. Instat Schlichtingius (2): *Deinde aut con-* 2. *Instantia-*  
*sistere non potest id quod dicis, aut nostram senten-*  
*tiam confirmat. Quid ita? Nam cum ais, recte di-*  
*ci, cætum Wittebergensem esse Ecclesiam solam aut*  
*solum veram, vel Ecclesiam intelligis in genere seu*  
*collective sumtam, prout omnes singulares cætus*  
*hominum Christi doctrinam salutarem profitentium*  
*continet: vel intelligis Ecclesiam singularem ac se-*  
*paratim consideratam. Si prius, verum quidem*  
*est, Ecclesiam isto modo sumtam solam esse veram*  
*Ecclesiam: sed falsum est, Wittebergensem cætum*  
*esse Ecclesiam pro omnium singularium Ecclesiarum*  
*collectione acceptam. Si posterius, ut demus verum esse,*  
*Wittebergensem cætum esse Ecclesiam singularē eam-*  
*que veram: at profecto falsum est, esse solam vel*  
P 3 *solum*

*solum veram, cum & alie sint singulares Ecclesie verae praeter ipsam. Et, si vere dici posset, cœtum VVittebergensem esse singularem Ecclesiam solam veram, aequè profecto vere diceretur, solum VVittebergensem cœtum esse Ecclesiam veram.* Resp. Schlichtingius in prima sui argumenti propositione vel imperite, vel insidiosè confundit *Ecclesiam veram in genere*, & *Ecclesiam veram collective sumtam*, prout omnes singulares Ecclesias veras complectitur, quam vocare solemus Ecclesiam universalem. Cum ais, inquit, rectè dici, cœtum Wittenbergensem esse Ecclesiam solam aut solum veram; vel Ecclesiam intelligis *in genere seu collectim sumtam*, prout omnes singulares cœtus hominum Christi doctrinam salutarem profitentium continet: vel intelligis Ecclesiam singularem ac separatim consideratam. Atqui inter Ecclesiam veram in genere, & Ecclesiam veram collective sumtam, quæ omnes singulares veras Ecclesias comprehendit, maximum est discrimen. Nam Ecclesia vera in genere, respectu singularium verarum Ecclesiarum, est totum universale, quod de unaquaque singularium verarum Ecclesiarum prædicari potest, sicuti v. g. aqua in genere sumta de unaquaque gutta aquæ, quæ est in aliquo fluvio, tanquam de singulari aqua, prædicari apta est. At Ecclesia vera collective sumta, prout omnes singulares Ecclesias veras complectitur, respectu illarum est totum integrale, quod de unaquaque

fin-

*Inter Ecclesiam veram in genere, & Ecclesiam veram collective sumtam, quæ omnes veras Ecclesias singulares comprehendit, maximum est discrimen.*



singulari vera Ecclesia, tanquam parte sua integrali, prædicari non potest: sicuti fieri nequit, ut v. g. aqua tota atque integra alicujus fluvii de unaquaque aquæ gutta, fluvio illo contenta, tanquam de parte sua integrali, prædicetur. Unde quilibet videt, Schlichtingii disjunctivam laborare insufficienti partium enumeratione. Cum dicimus, *Ecclesiam Wittebergensem esse illam solam veram Ecclesiam*, non intelligimus veram Ecclesiam collectivè sumtam, prout omnes Ecclesias veras singulares continet: nam vera Ecclesia collectivè sumta est totum integrale, & Wittebergensis Ecclesia est una partium ejus integralium, totum autem integrale de aliqua parte sua integrali prædicari nequit: nec intelligimus veram Ecclesiam singularem, quia plures sunt Ecclesiæ veræ singulares, non una tantum; si quis autem diceret, Ecclesiam Wittebergensem esse illam solam veram Ecclesiam singularem, supponeret, unam tantum esse ecclesiam veram singularem: sed intelligimus veram Ecclesiam in genere, seu generaliter sumtam, quæ procul dubio una est. Hæc est totum universale, Ecclesia Wittebergensis est singulare seu individuum, sub illa, tanquam sub suo genere, comprehensum. Quare ergo illa una vel sola Ecclesia vera in genere, quæ est totum universale & genus, de Ecclesia Wittebergensi, tanquam parte sua & singulari sub ipsa contento, non vere prædicari queat, dicendo, *Ecclesia Wittebergensis est illa una vel sola vera Ecclesia?*



fia? nisi forte universale de singulari, sub ipso contento, prædicare amplius non liceat, salva veritate.

X. Tandem Schlichtingius, ea, quæ de Meisneri propositione dixerat, applicaturus ad propositionem è verbis Christi desumptam, hæc subjungit: *Transferamus hoc ad rem nostram: ponamus Christum dicere, Patrem esse Deum solum verum, seu Deum qui solus sit verus.* Jam quero, vocem Dei quo sensu accipi putet Meisnerus, an pro natura pluribus intactam applicandi communis, an pro individuo singulari? Si prius, & plures numero Deos inducet, & Christum pellitur. *falsa dicentem finget. Nec enim Pater, qui individuum est, natura aliqua est pluribus communis.*

Quando Pater dicitur illud est individuum, quod solus est verus Deus. Ita esse ille solus Meisnerus in eum, quem vitare voluit scopulum, illi verus Deus, sus est. Resp. Quando Christus dicit, Patrem esse illum solum verum Deum, Meisnerus, & nos cum ipso, vocem Dei accipimus non pro natura pluribus individuis communi, sed pro natura individua singulari, quæ tamen pluribus personis est communis. Unde non valet hæc consequentia: si Pater est individuum, quod est solus verus Deus, solum Patrem esse verum Deum. Nam non solus Pater est illud individuum, quod est solus verus Deus; sed & Filius est illud individuum quod est solus verus Deus, & similiter Spiritus Sanctus: quia



quia natura Dei singularis & individua tribus istis personis secundum thesin nostram communis est, deque illis prædicatur. Nec est, quod dicas, non posse naturam Dei individua, prædicari de pluribus; quia singulare seu individuum est, quod de pluribus prædicari nequit, & in eo contradistinguitur universali, cujus natura est, aptum esse, ut prædicetur de pluribus: nam addendum vel subaudiendum est aliquid in his definitionibus. Individuum seu singulare est, quod de pluribus prædicari nequit, adde *cum sui multiplicatione*, seu ita, ut in pluribus illis multiplicetur. Universale est, quod de pluribus prædicari potest, adde, *cum sui multiplicatione*. Dicitur enim aliquid (v. g. Petrus) individuum, non quod simpliciter non possit dividi in plura; (Petrus enim dividi potest in plures partes essentielles, animam & corpus, plures item partes integrantes caput, thoracem, ventrem, &c.) sed quod non possit dividi in plura talia, quale est ipsum adæquate. Sic Petrus non potest dividi in plures tales, qualis est ipse, puta in plures Petros, & per hoc est individuum. At homo, qui est universale, potest dividi in plures tales, qualis est ipse, nempe in plures homines, Petrum, Paulum, Johannem, &c. Additur in definitione individui vox *adæquate*, propter illa individua, quæ sunt tota homogenea: quod videlicet quodlibet hujusmodi individuum possit dividi in plura talia, qua-

*Individuum seu singulare est, quod de pluribus prædicari nequit, adde, cum sui multiplicatione*

*Universale est, quod de pluribus prædicari potest, adde, cum sui multiplicatione.*

*Dicitur aliquid (v. g. Petrus) individuum, non quod simpliciter non possit dividi in*

qua-



*pluratalia, quale est ipsum ; ( v. g. hoc aurum in plures partes , quarum quælibet est hoc aurum ) sed non in plura talia quale est ipsum adæquate , cum nulla pars adæquet totum. Ex eo autem , quod in-*

*Ex quo se-* dividuum non possit dividi in pluratalia , quale  
*quitur, In-* est ipsum adæquate , sequitur , etiam illud præ-  
*dividuum* dicari non posse de pluribus cum sui multiplica-  
*etiam præ-* tione. Sic quia Petrus non dividi potest in plu-  
*dicari non* res tales , qualis est ipse , puta in plures Pe-  
*posse de* tros , etiam prædicari non potest de pluri-  
*pluribus cū* bus cum sui multiplicatione. At homo , qui  
*sui multi-* est universale , quia potest dividi in plures tales ,  
*plicatione.* qualis est ipse , puta in plures homines , in Pe-  
trum , Paulum , Johannem , &c. potest quoque  
de illis prædicari cum sui multiplicatione : nam  
Petrus est homo , Paulus est homo , Johannes est  
homo , & hi tres non sunt unus homo , sed tres  
homines. Dixi , ex eo quod individuum non

*Cæterum* possit dividi in plura talia , quale est ipsum , se-  
*non sequi-* qui , illud etiam non posse prædicari de pluribus  
*tur , illud* cum sui multiplicatione. Cæterum non sequi-  
*non posse* tur , illud non posse prædicari de pluribus citra  
*prædicari* sui multiplicationem : quia indivisibilitas in plura  
*de pluribus* talia , quale est ipsum adæquate , ( in qua na-  
*citra sui* tura individui consistit ) excludit tantum priorem  
*multiplica-* prædicationem , quæ est cum sui multiplicatione ;  
*tionem.* non vero posteriorem , quæ est sine sui multipli-  
catione. Nam si ponamus , aliquid posse prædi-  
cari de pluribus sine sui multiplicatione , non au-  
tem cum sui multiplicatione , erit illud adhuc indi-

di-



dividuum: quia si prædicari non potest de pluribus cum sui multiplicatione, est quoque indivisibile in plura talia, quale est ipsum adæquate, & per hoc individuum. Ex dictis apparet, Deum, ut individuum, non posse dividi in plures tales, quales est ipse, nempe in plures Deos; indeque etiam prædicari non posse de pluribus, cum sui multiplicatione. Quod tamen non impedit, quominus prædicari possit de pluribus sine sui multiplicatione, dicendo: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, & hi tres non sunt tres Dii, sed sunt unus Deus. Ita Meisnerus eum, in quem Schlichtingius ipsum appellere contendit, scopulum caute vitavit, & feliciter prætervectus est.

XI. Ostendimus hucusque ex ipso positu Joh. XVII. 3, non solum Patrem, in isto Christi sermone, illum verum Deum dici, nec ab hac appellatione Filium excludi. Quibus nunc subiungimus locum 1. Joh. V. 20. ubi hæc ipsa appellatio ὁ ἀληθινὸς θεός, totidem apicibus prædicatur de Filio. Sumus in vero illo, in Filio ejus Jesu Christo. Hic est ille verus Deus, & vita æterna.

XII. Ad hunc locum cum provocasset etiam Meisnerus Brevi Considerat. Theol. Photin Cap. IV. p. 375, excipit Schlichtingius, Disp. de SS. Trinitate, &c. p. 228. 229: Citanda erant & antecedentia, ut tantum melius appareret, ad quem ultima ista verba, Hic est verus Deus, referri debeant.



Ita enim prius dixerat Joannes: Scimus, quod Filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum verum; ac demum subjungit; & sumus in illo vero, &c. Ubi quis videt, illum verum distingui à Jesu Christo illius veri Filio. Quare cum dicitur, nos esse in illo vero, existimandum non est sequentia verba, in Filio ejus Jesu Christo, per appositionem illis adjungi; sed particulam in, creberrima significatione, idem valere, quod per, & modum seu causam intermediam indicari, per quam sumus in illo vero, nempe eam esse Filium ipsum Jesum Christum. Piscator id ipsum videns, appositionem nimirum in verbis illis, in Filio ejus Jesu Christo, haud esse; quia hoc pacto unus & idem diceretur sui ipsius Filius, id quod, inquit, simpliciter est impossibile; conjunctionem copulativam post verba, in illo vero, vult intelligi, quasi dictum esset: Sumus in illo vero, & in Filio ejus Jesu Christo. Cum igitur ille verus aperte à Jesu Christo, tanquam Pater à Filio distinguatur; quid causæ est, ut sequentia verba, hic est verus Deus, non ad illum verum, de quo principaliter agitur, ipsam adeo vim vocum secuti, sed ad Jesum Christum, quamvis proxime nominatur, referamus? Pronomina enim ista non semper ad proxime nominatum respicere; sed ad eum potius, cujus præcipua fit mentio, & ratio ipsa, & multa alia Scripturæ exempla evincunt. Vide ad marginem hæc inter alia complura. Adscriptæ autem

autem in margine sequentia, 2. Theff. 2. 9. Hebr. 5. 7. Joh. 9. 22. 1. Joh. 2. 22.

XIII. Resp. Cum dicit S. Johannes, *Scimus quod Filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum verum*, supple, Deum; manifestum est, à Filio Dei distingui illum verum, & per hunc designari Patrem Filii Dei. Quando autem subjungit, *& sumus in illo vero, in Filio ejus Jesu Christo*, per illum verum, non eundem quem antea, puta Patrem, sed Filium se intelligere, declarat ipse, verbis per appositionem additis, *in Filio ejus Jesu Christo*; qui non est ille verus Deus, qui est Pater, personaliter, est tamen ille verus Deus, qui est Pater, essentialiter. Certe in uno commate vo-

Resp.

In uno commate vocens unam, bis positam, nō de uno eodemque intelligendā esse, nihil est insolens.

Q 3

mo



mo Patrem, & postea Filium designari dicimus. Sed ut in verbis, καὶ ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτῷ Ἰησοῦ Χριστῷ, præpositioni ἐν bis positæ, duplicem significationem tribuamus, propriam & impropiam, atque ista verba exponamus cum Schlichtingio, & sumus in illo vero, per filium ejus Jesum Christum; nihil est, quod nos cogat. Particula in, scribit Schlichtingius in Comment. ad h. l. p. 417. b. ponitur pro per. Neque novum est, ut in eodem orationis complexu particula in, nunc propriam habeat significationem, nunc accipiatur pro per, inter alia Rom. X. 8. 9. Prope te est verbum in ore tuo, & mox: si confitearis in ore tuo, ubi prior loco in accipitur proprie, posteriore significat per. Similiter Eph. III. 21: Ipsi Gloria in Ecclesia in Christo Jesu: quibus in verbis prius in propriam habet significationem, posterius significat per. Vide & Rom. XV. 13. Eph. I. 3. & 6. Col. I. 16. II. 7. Nos non negamus, particulam ἐν aliquibus in locis, in eodem orationis complexu, duplici ista significatione legi, & modo pro in, modo pro per accipi, subjecta materia id postulante: at quæ hîc necessitas deserendi propriam significationem? Nonne credentes in Scriptura sæpius dicuntur esse, manere in Christo? Vid. Rom. VIII. 1. II. Cor. V. 17. Joh. XV. 4. 5. 6. 7. 1. Joh. II. 28. III. 6. Cur ergo non hîc quoque, cum dicitur, Et sumus in illo vero, ἐν υἱῷ αὐτῷ Ἰησοῦ Χριστῷ, propriam particulæ significationem servantes, verba ista  
fic

fic accipiamus; Et sumus in illo vero, in filio ejus Jesu Christo. Piscator post illa verba, Et sumus in illo vero, copulativam & inferendam judicans, falsa ratione deceptus est: quia non animadvertit, perverū illum, bis in hoc commate positum, non unum & eundem sed alium atque alium, & primo quidem loco Patrem, secundo Filium significari, hoc patet: Scimus quod Filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum verum, nempe Patrem, & sumus in illo vero, in Filio ejus Jesu Christo. Ubi hæc appositio, in Filio ejus Jesu Christo, docet, illum verum posterius appellatum, non esse eundem illum verum, qui prius nominabatur. Nam qui prius nominabatur ille verus, est Pater, & distinguitur a Filio, qui ejus cognoscendi mentem nobis dedit: at qui posterius appellatur, verus Deus, in quo esse dicimur, per appositionem in Filio ejus Jesu Christo, declaratur aperte esse ipse Filius Jesus Christus. Unde patet, per hanc appositionem nequaquam unum & eundem dici sui ipsius filium. Et cum additur, Hic est ille verus Deus & vita eterna, hæc verba merito ad Jesum Christum, proxime nominatum, referuntur. Sane ordinarie & nativa sui significatione pronomen *et* demonstrat proxime nominatum: & licet nonnunquam aliud demonstrat, ut I. Joh. II. 22; (in reliquis tribus locis a Schlichtingio citatis in margine, exstat pronomen relativum, non demonstrativum, in quorum tamen vicem

Pronomen  
& ordinaria  
& nativa  
sui significatione demonstrat  
proxime



*nominatū* : vicem reponi possunt hæc tria, Act. IV. II. VII. 19.  
 & X. 6. in quibus legitur pronomen *ἑστος*, & re-  
 spectit remotius) nunquam tamen id factum esse  
 videmus, nisi cum contextus id evidenter docet,  
 nulloque modo patitur demonstrativum *ἑστος* ad  
 proxime nominatum referri. Et vero quam  
 curate Spiritus S. evitare voluerit ambiguitatem,  
 ne tali usu ac situ pronominis demonstrativi for-  
 tean turbaretur lector, patet ex hoc ipso Cap. V.  
 Epist. I. Joh. vers. 5. & 6. ubi nomen remotius  
 Jesus, ad quod pronomen *ἑστος* respicit, expresse  
 repetitur, ut pronomen istud aliorsum referri o-  
 mnino nequeat. Sed ut in vers. 20. ad remotius re-  
 feratur, nihil est quod cogat, nisi præjudicata opi-  
 nio, Christum non esse illum verum Deum, quod  
 tamen est τὸ κριόμενον. Nec concedimus Schlich-  
 tingio, de illo vero prius nominato, nempe Patre,  
 non de Filio principaliter hoc versu agi. Pater  
 bis designatur: primo voce Dei, facta mentione  
 Filii Dei, & deinde vocibus, *ille verus*, primo lo-  
 co positus, ejusque cognoscendi facultatem per fi-  
 lium nobis datam indicatur, his verbis: *Scimus,*  
*quod Filius Dei venit, & dedit nobis mentem cogno-*  
*scendi illum verum.* Hæc autem omnia eo perti-  
 nent, ut summum Filii Dei in nos collatum benefi-  
 cium repræsentetur: Ipse autem Filius multo lucu-  
 lentius, & præcipuo instituto cognoscendus nobis  
 proponitur. Primo bis nominatur *Filius*. Deinde ex-  
 primitur ejus nomen proprium, cum cognomi-  
 ne & vocatur *Jesus Christus*. Tum duplex ejus  
 actio

actio memoratur, nempe quod venit, & quod dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum verum, puta Patrem. Præterea nostri in illum insitio significatur, & ipse quoque ille verus appellatur. Et sumus in illo vero, in Filio ejus Jesu Christo. Ex quibus apparet, præcipue hîc agi de Filio Dei, Jesu Christo, atque adeo etiam hoc nomine statuendum esse, demonstrativo ἕως Filium Dei, proxime nominatum, demonstrari in verbis sequentibus; Hic, inquam nempe, *Jesus Christus, est ille verus Deus & vita æterna*. Quæ posterior appellatio etiam optime in Filium Dei convenit stylo scripturæ: quandoquidem in N. Testamento Pater nunquam, at Filius aliquoties *vita*, cum epitheto, *æterna*, vel expresso, vel tacite intellecto vocatur, 1. Joh. I. 2. Joh. XI. 25. & XIV. 6. Unde etiã hoc ipso capite V. Epist. 1. Joh. vers. 11. 12. *vita æterna, quam dedit nobis Pater, dicitur esse in Filio ejus, ita ut qui habet Filium, habeat vitam; qui non habet Filium Dei, vitam non habeat*. Et subjungit ibi S. Johannes vers. 13. *Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei, ut sciatis, vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filii Dei*. Conf. Joh. XX. 31. En quam bene omnia sibi invicem, & scopo S. Scriptoris respondeant in nostra interpretatione, nativam atque ordinariam verborum significationem ubique servante. At Schlichtingii interpretatio vexat primo propositionem ἐν, in verbis, ἐν οὐκ ἄντ' ἰησοῦ *incommoda* *da.* *in pro per positum esse contendens.*

Schlichtingiane interpretationis loci 1. Joh. V. 20.

R

de



de in verbis, *Hic est verus Deus*, demonstrativum *ετος* refert ad remotius. Denique hoc ipso propositionem S. Johannis facit tautologicam & nugatoriam. Nam si pronomem *ετος* non ad filium Jesum Christum, sed ad illum verum Deum, cujus Filius est Jesus Christus, referatur; verborum Johannis hic erit sensus: *Hic, nempe ille verus Deus, est ille verus Deus*. Cum enim supra dixerat, *ut cognoscamus illum verum*, subaudiendum est substantivum, & quidem substantivum *Deus*, quod in fine versus vocibus, *ὁ ἀληθινός* adjicitur. Nec diffitetur Schlichtingius in Comm. ad h. l., ad ista verba, *ut cognoscamus illum verum* addens, Oper. Exeget. Tom. II. pag. 417. a. *Intellige, Deum*. Unde etiam hæc ipsa vox, *Deum*, expresse addita legitur in Codice MS. quo usus est Grotius in editione Complutensi Græca, & latina vulgata, ut & apud Basilium lib. IV contra Eunom ac Cyrillum. de Trinit. Dial. III. Nec effugit Schlichtingius, postea ad verba, *Hic est verus Deus*, scribens ibidem p. 418 a: *Pronomen hic, non ad alium, quam ad illum, cujus Filius est Jesus Christus, id est, ad Jesu Christi Patrem referendum est, vel ipso Jesu Christo autore, (cujus vestigia hic legisse videtur Joannes) qui Patrem suum solum verum Deum esse dixit, & sese ab illo tanquam ejus Legatum distinxit, Joan. XVII. 3. Ne quis putet, quod & illi objiciunt, propositionem fore tautologicam, quasi dictum sit, hic verus Deus est verus*



rus Deus, nisi verba ista ad Jesum Christum referantur. Nihil minus, ut dictum est; quanquam & repetitio ac asseveratio ejusdem sententiæ posset esse, quasi dictum sit: *Hic, inquam, est verus ille Deus, &c.* Enimvero licet in his verbis, ut cognoscamus illum verum, designetur Pater: attamen non expresse Pater sed solummodo ille verus appellatur. Si ergo pronomen; ὁστος ad illum verum respicere velis, explicanti, quemnam hoc pronomen demonstret, ἀπὸ κοινῆ repetenda sunt verba, *ille verus*, hoc modo: *Hic, puta ille verus Deus, est ille verus Deus.* Nam ἀπὸ κοινῆ repetendum utique est id, quod in textu expresse positum legitur, & cum quo sequens pronomen construitur. Verum hæc propositio, *ille verus Deus est ille verus Deus*, manifesto est inepta. Non enim continet repetitionem atque asseverationem ejus quod ante dictum erat; sed est propositio tautologica & identica, idem dicēs de eodem, & affirmans de subjecto prædicatum iisdem constans verbis, quibus constat subjectum: quod est, omnino atque absurdissime nugari,



## CAPUT. VI.

Secundum & tertium Socini  
contra nostram sententiam  
argumentum, à Schlichtin-  
gio defensum, confutatur.

I.

2. Argu-  
mentum So-  
cini.

**A**lterum Socini argumentum proponit Schlich-  
tingius, Disp. de SS. Trinitate, &c. adversus  
Meisner. art. I. p. 255. *Sequitur*, inquiens, *nunc  
aliud, sumtum ex Epistola ad Eph. cap. 4. 6. ubi Pau-  
lus ait: Unus Deus, & Pater omnium. Hec Apo-  
stoli verba clare docent, eum qui sit Deus ille unus,  
non alium esse quam Patrem omnium. Ex quo con-  
sequitur, ne ipsum quidem Jesum Christum esse Deum  
illum unum. Neque enim Jesus Christus est Pater  
omnium, imo & ipse Patrem habet, eundem illum, qui  
omnium est Pater.* Respondeo. Meisnerus, Brevi  
Confid. Theol. Photin, cap. IV. p. 336. 387. 388.  
cum multis aliis, censet, in loco Eph. IV. 6. vo-  
cem Patris non capiendam esse personaliter &  
determinate; pro prima tantum Trinitatis per-  
sona, sed essentialiter & absolute, prout Patri,  
Filio & Spiritui Sancto est communis: atque ita  
*lubenter, inquit, fatemur, quod sit unus Deus &  
Pater omnium; is autem est Spiritus Sanctus, Filius  
& Pater τὸς ἐξοχῆν vel specialiter ita dictus, & per*  
con-

Resp.  
Locus Eph.  
IV. 6. decla-  
ratur.

